

# EPISTULA LEONINA

## CCIII

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCII INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**DUCENTESIMAM TERTIAM (203) !**

**ARGUMENTA**


STULTORUM OMNIA PLENA.....	04
CHRONOGRAMMATA DEMMINGIANA.....	05-09
RESPONSIO PLANTICONIS AD IMPRECATIONEM.....	10-11
FABELLA GRIMMIANA: <i>Das Wasser des Lebens</i> .....	12-18

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS  
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*tibi offero Epistulam Leoninam ducentesimam tertiam (203). Sive argumenta tibi placent sive displicent, scribas nobis quidquid tibi in buccam venerit. Gratias tibi ago in antecessum.*

*Autumnus ingruit; fruire ultimis huius anni diebus serenis: carpe diem! In Germaniâ haud mala fuit aestas neque nimis aestuosa. Aestas calet, friget hiems – nulla est causa, cur timeas terrae ecpyrosin et cataclysmum. Noli credere Gretulae Prasinisque pseudoprophetae interitum mundi vaticinantibus. Utinam ne incidas in terrorem panicum! Mense Augusti per tres septimanas cum essem in Coreâ meridionali, ibi tempestatem passus sum multo aestuosiore quam in Germaniâ. Sed illâ in paeninsulâ nequaquam insolitam esse talem tempestatem aestivam bene scio, quia per decennium ibidem vivens nullam umquam aestatem Coreanam expertus sum non aestuosam. Ergo in utrâque terrâ aestas nullo modo insolita fuit; noli sollicitari de climatis mutatione deque temperaturâ globi terrestris augescente. Mundus non est interiturus! Neque carboneum dioxydatum est venenum – immo est beneficium naturae salutare, sine quo plantae non viverent; nisi plantae essent, neque essent bestiae neque nos ipsi homines hac vitâ frueremur! Nam plantarum liberalitate nos accipimus et oxygenium et nutrimenta.*



*Gaudeamus igitur de calore aestivo deque carboneo dioxydato.  
Gaudeamus igitur iuvenes dum sumus...*

*Sed nunc cena tibi apposita est opipara: tolle lege fruire!*

**Medullitus Te salutat**

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
Die Lunae, 16. m.Sept., a.2019**



## **STULTORUM OMNIA PLENA**

**M.T. CICERO**

**CICERO, Epistulae ad familiares IX 22 Stultorum plena sunt omnia:** "testes" verbum honestissimum in iudicio, alio loco non nimis; et honesti, "colei Lanuvini," "Cliternini" non honesti. Quid? ipsa res modo honesta, modo turpis: suppediit, flagitium est; iam erit nudus in balneo, non reprehendes.

Zum 25. August 2019

**IAMES VVATT INVENTOR STRENVVS  
PRAECLARVS AC VIR VERE SCOTICVS  
HODIE ANTE QVATER QVINQVAGINTA  
ANNOS OBIIT**

Hannes Demming fecit

**HVNGARIA SEX LVSTRIS ANTE CRVDELI VELO FERREO  
SVA SPONTE ATQVE EX INOPINATO PERFORATO  
RECONIVNCTIONEM PATRIAE NOSTRAE PRAEPARAVIT**

Ungarn hat vor 30 Jahren den grausamen Eisernen Vorhang von sich aus und unerwartet durchlöchert und damit die Wiedervereinigung unseres Vaterlandes vorbereitet.

*Hannes Demming fecit*

Zum 17. August 2019

**MIES VAN DER ROHE AQVISGRANENSIS  
ARCHITECTVRAE NOVAE PARENS  
EXPERTVS CELEBER QVINQVAGINTA  
ANNIS ANTE E VITA EXCESSIT**

H.D.F.

Zum 13. September 2019

CLARA VVIECK-SCHVMANN  
ARTIFEX CLAVIARII  
EXCELLENS LATEQVE  
CELEBRATA ANTE QVATER  
QVINQVAGINTA ANNOS LIPSIÆ  
NATA

Clara Wieck-Schumann, herausragende und weithin gefeierte Klavier-Künstlerin, wurde vor 200 Jahren in Leipzig geboren.

*Hannes Demming fecit*

Zum 16. September 2019

**LVIGI COLANI FORTIS FABER OPIFEX ARTIFEX  
FICTVRAE & PICTVRAE HODIE E VITA EXIIT  
ANNO NONAGESIMO ALTERO AETATIS SVAE**

*Luigi Colani, kühner Werkmeister, Künstler, Entwickler und Zeichner ist heute im 92. Lebensjahr gestorben.*

*HDF*

## RESPONSIO PLANTICONIS

Sehr geehrter Herr Groß,  
 im Anhang eine lateinische Antwort auf eine lateinische Verfluchung deutscher  
 Asylverweigerungsbeamter durch Frau Anna Elissa Radke, Univ. Marburg, abgedruckt in Pro  
 Lingua Latina, Heft 20/2019, S. CXXXII, die der begnadete Lateinpädagoge Dr.  
 Hermann Krüssel herausgibt und die Sie vielleicht auch beziehen oder kennen.  
 Mit freundlichen Grüßen Ihr Claus Plantiko.  
 18.08.2019

### Responsum

Elissa imprecatrix, Anna perbona  
 et paene ultrix angela,  
 ut depoposcisti deus sit consequens  
 et peccatores castiget,  
 sed ne molestes Patrem antequam vides  
 quod Libro Sancto praecipit:  
 Jesus Sirach 11, 35 (36) „*Admitte ad te  
 alienigenam et subvertet te in turbore  
 et alienabit te a tuis propriis*“,  
 Proverbia 25, 17 „*Subtrahe pedem tuum de  
 domo proximi tui nequando satiatus oderit te.*“  
 Humanitate libere agas ubi  
 utere mediis tuis.  
 Donare res alius interdictum est.  
 Bonum commune tangere  
 omitte et admunire hos qui postulant  
 aëra, solum patriae,  
 domos, vestitum, victum, sanatoria,  
 plenas opes et ordinem  
 nisi prius consensus omnium probat  
 partiri cum migrantibus,  
 nam praeest publicis bonis communitas.  
 Precare ad deum tuum;  
 „Hic mundus“, inquit, „non meum regnum capit.  
 Ad ius civile confuge!“  
 Erwiderung

Elissa Anna, gutmenschliche Flucherin  
 und beinah racheengelhaft,  
 wie Du vom Gotte wolltest Folgerichtigkeit  
 und daß er Sünder strafen soll,  
 belästige den Alten nicht, bevor Du siehst,  
 was in der Bibel er befiehlt:

Jesus Sirach 11, 35 (36) „*Nimmst du einen  
 Fremden zu dir ein, so wird er dir Unruhe  
 machen und dich aus deinem Eigentum treiben*“,  
 Sprüche 25, 17 „*Entzeuch deinen Fuß vom  
 Hause deines Nächsten; er möchte dein  
 überdrüssig und dir gram werden.*“

Freibleibend handle mit Menschlichkeit, wo Du  
 Dein eigenes Vermögen nutzt.

Verschenken fremder Sachen ist Dir untersagt.


Zu rühren ans gemeine Wohl  
 laß ab und herzubringen, die auf Suche sind  
 nach Luft und heimatlichem Grund,  
 nach Häusern, Kleidung, Heilanstalten, Eßvorrat  
 und Vollversorgung nach Gesetz,  
 wenn nicht zuvor ein Volksentscheid für Recht erkennt,  
 zu teilen mit den Wanderern,  
 denn die Gemeinde sorgt für öffentliches Gut.

So bete nur zu Deinem Gott;  
 er sagt es klar: „*Mein Reich ist nicht von dieser Welt.*  
 Nimm mit dem Bürgerrecht vorlieb!“

Quintessenz: *Tantum religione potest cooriri malorum*  
 (Soviel an Übeln vermag nur durch Religion zu entstehen)

# FABELLA GRIMMIANA

## DE AQUA VITAE



Aliquando fuit rex, qui in morbum incidit neque ullus homo credidit eum vitâ esse superaturum. Rêgi autem tres erant filii, qui hac re contristati descenderunt in hortum castelli et lacrimaverunt; tum inciderunt in quendam senem, qui rogavit, quaenam esset eorum aegritudo. Deinde filii rês dixerunt patrem suum tam vehementer aegrotare, ut moreretur, nam nullum esse remedium. Tum senex: »Equidem« inquit »nôvi remedium, quod est aqua vitae, si quis eandem biberit, reconvalescet; at hoc remedium difficile est inventu”. Deinde filius maximus natu: »Ego« inquit »illam aquam inveniam«; regem aegrotum adiit eumque rogavit, ut sineret se proficisci, ut aquam vitae quaereret, quâ solâ pater posset sanari. Tum rex : »Non« inquit »te sinam proficisci, nam periculum est nimis magnum, mâlo me mori«. At filius tam diu rogavit, usque dum intra se assentiretur. Princeps autem intra se cogitavit: »Si aquam attulero, patri quia ero filius amatissimus, hereditate accipiam regnum«.

Ergo filius rēgis maximus natu profectus est. Cum aliquamdiu abequitavisset, in viâ stetit quidam pumilio, qui iuvenem appellatum quaesivit: »Quonam equitas tam celeriter?« Tum princeps superbiâ affectus: »Heus tu« inquit „pumilio, quid hoc ad te?« et perrexit equitare. At homuncio irâ incensus male illum devoverat. Princeps autem vênit in saltum montium, et quo magis equus progrediebatur, eo artius montes inter se coniungebantur, ut nullum iam gradum facere posset neque equum posset vertere, neque ipse potuit ex equo descendere et erat inclusus. Itaque rex aegrotus filium exspectabat, sed is omnino non vênit. Tum filius alter dixit: »Ergo ego proficiscar, ut quaeram aquam vitae« et intra se cogitavit: »Hoc mihi placet; si frater meus est mortuus, regnum addicetur mihi«. Rex autem primo noluit permittere, ut ille proficisceretur; sed tandem non potuit, quin concederet.

Itaque princeps eâdem viâ profectus incidit in illum nanum, qui principem sisteret et rogavit: »Quonam equitas tam celeriter?« Tum princeps: »Heus tu« inquit »quid hoc ad te?«, et ne semel quidem conversus abequitavit. At nanus etiam eum devovit, ut alter filius eodem modo ac primus veniret in saltum montium, neque porro neque retro posset equitare. Sic agitur de hominibus superbis.

Cum alter quoque filius non revertisset, filius natu minimus dixit se velle proficisci, ut afferret illam aquam, et rex tandem non potuit, quin sineret illum abire. Cum autem filius minimus incideret in pumilionem rogantem, quonam properaret, constitit et dixit: »Quaero aquam vitae, nam pater meus aegrotat mortiferê.« »Scisne etiam, ubi eadem inveniatur?« Princeps autem dixit: »Nescio«. »Cum ita te gesseris, ut decet, non tam insolenter quam fratres tui, te certiolem faciam tibi dicam, quâ viâ accessurus sis aquam vitae. Quae scaturit e puteo cuiusdam castelli devoti; quod non invades nisi tibi dederò virgam ferream duosque paniculos. Virgâ autem si ter impuleris portam castelli ferream, eadem aperietur. Intra iacent duo leones hiantes; si utrique paniculum inieceris, quiescent, deinde properê tecum aufer aliquantum aquae vitae, antequam campanâ indicabitur hora duodecima, alioquin porta claudetur, ut includaris tu ipse.« Princeps illi gratis actis virgâque paniculisque sumptis profectus est. Cum adveniret, omnia talia fuerunt, qualia fore nanus praedixerat.



Porta tertium impulsa est aperta, et cum iuvenis leones paniculis mitigavisset, castellum intravit et vênit in oecum magnum pulchrumque. Ibidem sedebant principes male devoti, quorum e digitis iuvenis detraxit anulos; praeterea ibi positi erant gladius et panis, quos secum abstulit. Deinde princeps vênit in conclave, in quo stabat virgo pulchra; quae principe conspecto gavisâ eundem osculata dixit eum se cum redemisset, accepturum esse totum regnum suum, et si uno anno transacto rediisset, nuptias suas celebratum iri. Tum principissa iuveni etiam dixit, ubi esset puteus, cui inesset aqua vitae; ei autem properandum esse aquamque exhauriendam, antequam hora indiceretur duodecima. Deinde princeps ire perrexit et tandem vênit in conclave, ubi stabat lectus pulcher lodice recenti obtectus, et quia fatigatus erat, primo voluit paululum somno recreari. Ergo in lecto se collocavit et obdormivit; cum expergisceret, hora indicata est undecima cum dodrante. Tum territus prosiluit, ad puteum cucurrit, aquam ex eo exhausit poculo, quod iuxta erat positum, et properê recurrit. Cum modo e portâ egrediebatur, hora indicata est duodecima et porta tam vehementer pellendo clausa est, ut iuvenis privaretur calcis particulâ.

At aquâ vitae acceptâ gavisus est, domum rediens iterum incidit in pumilionem. Is autem gladio et pane conspectis: »Quibus rebus

acceptis« inquit »magnum bonum peperisti; gladio enim poteris vincere integros exercitûs, panis autem tibi numquam deficiet.« Sed princeps cum nollet sine fratribus domum venire dixit: »Care nane, nonne scis, ubi sint fratres mei? Qui prius quam ego profecti erant ad aquam vitae accipiendam neque revenerant.« Tum pumilio: »Iidem« inquit »montibus haerent inclusi. Nam voto effeci, ut eo venirent, quia fuerant superbissimi.« Deinde princeps tamdiu nanum obsecrabat, usque dum fratres liberaret; sed îdem iuvenem monuit: »Cave illos, qui habeant animum malignum!«

Cum fratres venirent, iuvenis gavisus illis narravit, quae sibi accidissent, se aquam vitae invenisse poculumque eius secum abstulisse pulchramque principissam redemisse; quam velle per annum se exspectare, deinde nuptias celebratum iri, et se accepturum esse regnum. Deinde fratres unâ abequitaverunt et venerunt in terram, ubi erant fames et bellum, et tantae erant angustiae, ut rex iam crederet se interiturum esse. Tum princeps eum adiit eique dedit panem, quo rex totum regnum cibavit et saturavit; deinde princeps ei etiam dedit gladium, quo exercitûs adversariorum vinceret, ut nunc viveret in quiete et pace. Tum princeps panem gladiumque resumpsit et tres fratres equitare perrexerunt. Sed venerunt etiam in duas terras alias, ubi saeviebant fames atque bellum, et princeps ibi quoque regibus dedit panem gladiumque suum, ut tria regna servaret. Deinde autem tres fratres navi insederunt et mare transnavigaverunt. Inter navigationem duo fratres natu maiores inter se collocti sunt: »Frater minimus cum aquam vitae invenerit, nos non, pater ei dabit regnum, quod nos accipiamus oportet; quo fiet, ut privet nos felicitate.« Tum fratres maiores affecti sunt cupiditate ulciscendi et pacti sunt, ut illum perderent. Nunc exspectaverunt, usque sum ille artê obdormisceret, deinde aquam vitae e poculo effuderunt sibique sumpserunt, at illi infuderunt aquam marinam amaram.

Cum fratres domum redirent, minimus rêgi aegroto attulit poculum, ut ex eo biberet et reconvalesceret. At cum rex vix paululum bibisset aquae marinae amarae, tum etiam aegrotior factus est quam antea. Patre de hac re lamentante fratres maiores advenerunt minimum accusantes eundem voluisse patrem veneno imbuere, veram aquam vitae se ipsos invenisse secumque attulisse, et eandem rêgi obtulerunt.

Is eâdem vix epotâ sensit morbum suum evanescere tamque bene corroboratus reconvaluit, ut tantâ esset valetudine quantâ fuisset iuvenis. Deinde fratres maiores adierunt minimum eique illudentes dixerunt: »Invenisti quidem aquam vitae, sed cum tu operam dederis, nos accepimus mercedem; praestitit te oculos tenêre apertos, nam aquam tibi abstulimus, cum in mari obdormivisses. Anno transacto alter nostrum sibi adducet filiam rēgis pulchram; sed cave ne quid prodas, et si unum tantummodo verbum edideris, etiam perdes vitam tuam, sed si tacueris, vitam tibi donabimus.«

Rex autem senex filio minimo iratus credidit eum vitae suae insidiatum esse. Itaque aulicis convocatis filium minimum iussit eius poenae capitalis damnare, ut clam sagittâ percuteretur. Aliquando cum princeps equitaret venatum nil mali suspicans, venator rēgis iussus est illum comitari. Foris cum ambo una sôli essent in silvâ, venator aspectu tam tristi fuit, ut princeps ex eo quaereret: »Care venator, curnam doles?« Venator autem: »Non« inquit »licet loqui, tamen oportet«. Tum princeps: »Licet« inquit, »liberê loquaris, dic, quid sit, cur doleas, ego tibi ignoscam«. Deinde venator: »Eheu« inquit »a rēge iussus sum te iaculando necare«. Tum princeps territus dixit: »Care venator, sine me vivere, ego dabo tibi vestem meam regiam, da mihi pro eâ vestem tuam peiorem«. Venator autem: »Hoc« inquit »libenter faciam, nam nullo modo potui sagittam iaculari in te«. Tum venator accepit vestem principis, princeps peiorem venatoris, et abiit in silvam.

Aliquamdiu post tres currûs venêrunt ad regem senem, qui erant auro lapidibusque pretiosis onerati, qui filio rēgis minimo missi erant a tribus illis regibus, qui gladio principis hostes vicerant eiusque pane cives terrae suae nutriverant, donisque gratias rettulerunt. Quâ re rex commotus cogitavit filium suum minimum fortasse tamen esse innocentem et subditis suis dixit: »Eheu, utinam filius meus minimus adhuc viveret, nam miseret me illius, utinam ne illum necare iussissem!« Tum venator: »Si ita« inquit »sentis, ego rectê feci; nam maiore fui misericordiâ, quam ut mandatum tuum persequerer«, et rēgi narravit, quid fecisset. Tum rex gavisus in omnibus regnis curavit, ut enuntiaretur, ut filius reveniret, nam eundem receptum iri summâ cum veniâ et impunitate.

Filia autem rēgis iussit viam sterni ante castellum suum, quae erat ex integro aurea atque fulgentissima, suisque dixit eum, qui hac viâ rectâ ad se esset equitaturus, verum fore rēgis filium eidemque portam fore aperiendam; at eum, qui iuxta hanc viam auream venturus esset, eundem non fore verum, eidemque portam non fore aperiendam. Spatio temporis paene transacto frater maximus cogitavit sibi properandum esse ad filiam rēgis, et simulaturum se esse illius redemptorem, ut illam duceret uxorem necnon acciperet regnum. Itaque abequitavit et cum ad castellum veniret pulchramque viam auream conspiceret, cogitavit: »Perquam dolendum esset, si equitans hanc viam foedarem«, equum avertit praeterque viam a dextris equitavit. At portam cum adveniret, vigiles dixerunt eum non esse verum virum, cui liceret intrare, itaque oportere, ut abiret. Brevi post alter princeps profectus est et cum adveniret viam auream et equus alterum iam pedem eidem imposuisset, îdem cogitavit: »O perquam dolendum esset, si equus unguis suis aliquid auri detereret«, equum avertit et equitavit a sinistris iuxta viam auream. At eidem iuveni portam adeunti vigiles dixerunt eum non esse verum virum, cui liceret intrare, itaque oportere, ut abiret. Anno integro autem transacto tertius frater e silvâ voluit iter facere ad puellam sibi amatissimam, ut cum illâ consociatus miseriam suam oblivisceretur. Itaque profectus est nec umquam illam oblîtus est et desiderio illius commotissimus viam auream prorsus non conspexit.

Ita factum est, ut equus curreret per mediam viam auream et iuvenis cum portam accederet, eadem aperiretur, et filia rēgis iuvenem summo gaudio completa reciperet et diceret eum, cum se ipsam redemisset, regni nunc esse dominum, et nuptias celebratum iri summâ cum beatitudine. Quibus nuptiis finitis principissa marito narravit patrem eum ad se venire iussisse necnon eidem ignovisse. Tum iuvenis ad regem senem equitavit eique dixit omnia: quomodo a fratribus fraudatus esset, ipse autem de fraude tacuisset. Rex autem senex filios natu maiores punire voluit, sed isti nave profecti erant, ut trans mare aufugerent, nec umquam reverterunt in reliquâ suâ vitâ totâ.



**FABELLAM GRIMMIANAM  
C.T.**

*Das Wasser des Lebens*

**IN LATINUM CONVERTIT**

**LEO LATINUS**

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hôt tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |                                                                   |         |
|-------------------------------------------------------------------|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLITUDO	PRETIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	<b>TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM</b>	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	<b>MEMENTO MORI</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 A	978-3-938905-17-3	<b>MEMENTO MORI – Libri audibiles</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	<b>DE CRAMBAMBULO</b>	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	<b>DE DINOSAURIS</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	<b>SUDATORIUM VENERIS</b>	Diogenes Anaedous	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	<b>PERICULUM FRANCISCI</b>	Diogenes Anaedous	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	<b>NUPTIAE ABDERITANAE</b>	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	<b>TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN</b>	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50


14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM	Karl Friedrich Kilmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM TERTIAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Lunae, 16. m.Sept. a.2019**

**Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae

